

De febre adeno-nervosa, seu de peste orientali : dissertio inauguralis, gymnasio medico Parisiensi exhibita, et publicae disputationi submissa, die () mensis Messidoris, An, 11 / a Francisco-Carolo Hugone Laurentio Pouqueville.

Contributors

Pouqueville, F.-C.-H.-L. (François Charles Hugues Laurent), 1770-1838.
Royal College of Physicians of London

Publication/Creation

Parisiis : Valade, 1803.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qqtbc5gy>

Provider

Royal College of Physicians

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Berg et Dr. M.

2

DE
FEBRE ADENO-NERVOSA


SEU
DE PESTE ORIENTALI;

DISSERTATIO INAUGURALIS,

Gymnasio Medico Parisiensi exhibita, et pu-
blicæ disputationi submissa, die () mensis
Messidoris, An. 11.

A FRANCISCO-CAROLO-HUGONE-LAURENTIO
POUQUEVILLE,

Ex provinciâ Olinæ, e vico merulæ radulphi oriundo,
(Gallicè, *département de l'Orne, du bourg du Merle-
rault*), uno e Societate Artium Ægypti, nec non Parisiis
in Nosocomio, suburbii divi Martini (vulgo dicto
Maison de Santé), interno medicinæ et chirurgiæ alumno.



Οφελειν ή μη βλαπτειν. Ιωποκ.

Utilis aut saltem innoxius

PARISIIS,

Ex Officinâ Typographicâ,
JOANNIS - JACOBI - DYONISII VALADE,
In viâ Coquilliariâ, n°. 404.

AN. XI.

2



VIRIS ILLUSTRIBUS.

ANTON. DUBOIS, MEDICINÆ CLINICÆ
GYMNASII PARISIENSIS PROFESSORI, etc.

NEC NON

DAN. DE LA ROCHE, DOCTORI MEDICO
COLLEGII. GENEVENSIS, SOCIET. MEDIC.
PARIS. EDIMB. SOCIO, etc.

In documentum perennis studii et observantiæ
sacrum vult.

F. C. H. L. POUQUEVILLE

THIS ILLUSTRATES

ANDY DUBOIS, M.D. (1881)
STANDARD THERAPEUTIC

NOT FOR

DR. H. H. HILL, Doctor, M.D.
GUTHRIE, GEORGETOWN, SOCIETY, M.D.
PARK, JOHN, M.D.

A book of the same name is available

Section 100

T. C. H. A. FOR QUEVILL

DE
FEBRE ADENO-NERVOSÂ
SEU
DE PESTE ORIENTALI (1).

EXPOSITIO.

INTER tot auctores, qui de Peste, seu Febri Adeno-Nervosâ, aut ex professo, aut dogmaticè scripserunt, ridiculum sanè videretur, peculiarem à me opinionem in medium proferri, nisi ipsam cum summo vitæ discrimine, *Turcarum captivus*, peculiariter observavissem.

In multis Asiæ, Africæ et Europæ regionibus, in Ægei maris fortunatissimis olim insulis, cum characteribus populationis et lethi frequenter exoritur Pestis. Sed natura et principium ejus quasi exorirentur divinitùs a populis habita, fabularum tenebris adhuc involvuntur.

In pestilentia morbum specialem, numinis irati flagellum, antiqui viderunt. *Græci* recentiores Πανσκλην, seu omnium malorum coag-

(1) Pinel, Nosograph. ord. 7, gen. XV.

mentationem hanc cognominaverunt. Melius et sapientius dixissent, si omnes morbos in pestem converti, cum grassatur, pronunciassent.

Sed priusquam mentem meditationes que nostras evolvamus, ab alto luis istius mortiferæ historiam repetemus; et contagii principium non absolutè accipientes, dicemus.

D I V I S I O.

1º. De origine Pestis; 2º. de contagio et de conditionibus ad id divulgandum necessariis, ipsâ que de naturâ pestilentiae; 3º. de diagnosi; 4º. de prognosi; 5º. de sistendis progressibus; 6º. de morbi terminandi modo, et de curatione.

Utinam! et conatibus et dictis faveant, qui nos tyronem ad artes liberales formaverunt medicinæ que initiaverunt et præceptis et exemplis, nunc cum aliquid nostris ex peregrinationibus depromptum, eruditissimis celeberrimi gymnasii professoribus, humiliter offerimus.

D E O R I G I N E P E S T I S.

Homerus pestem primus, carmine sonoro

et perenni cecinit; sed poeta et minime loimographus, nullatenus eam delineavit. Quod ab epizootiâ anteceditur solummodò indicat, dum dicit :

Οὐρῆας μετ' πρῶτον ἐπαχέλο καὶ Κύνας ἀργυρᾶς.

Mulos primùm invasit et canes veloces (1). Et exprimit metum, præjudicia iis similia, quæ inter plurimas *Græciæ* gentes, ad nostram usque ætatem versantur. *Delius furens et iratus propter Agamemnonis impietatem nocti similis ibat et sagittas immittebat. Moriebantur et populi.* Recentiores nunc inter præjudicia narrant, quod *genius infaustus* Κακοδαίμων sub anûs formâ senio confectæ, caligine involutus super tecta domorum incedit. Jacula et sagittas non immittit, non jam arcûs strepitus per aera resonat, sed nomine vocat quos e medio tollere cupit. putant et noctu concentus musicos, symphonias audire et ab omnibus phantasmatibus ridiculissimis terrentur. Tunc ad vates, ad sacerdotes, ad imagines confugiunt; et salutem et vitam caram deprecantes, mortem inveniunt.

Hercules furens membra dilacerans, filii

(1) Ἰλίας A.

Niobe, totidem pestilentiae emblemata sunt. Sed nec mythologiam, nec libros sacros, nec historiam sæculorum antiquorum interrogare prodest. Ubique picturas lugubres reperiemus et morbum nusquam lucidè et planè descriptum.

Causa proxima pestilentiae.

Qui a deo sicut flagellum, immissam fuisse pestem existimant; multis divagandi modis ansam præbuerunt. Causa ejus prima sicut et omnium morborum incognita latet.

Causa ejus proxima sicut omnis epidemici morbi, ab aere pendet, secundum illud Hippocratis.
 μέλα τῷτο τοῖνον, εὐθὺς ῥητέον, ὅτι ἢ κ' αλλοθὲν ποθεν εἰκός ἐστι γίνεσθαι τὰς ἀρρώστιας μάλιστα, ἢ ἐνλευθεν ὅταν τῷτο, ἢ πλέον, ἢ ἑλασσον, ἢ καὶ ἄτρον ἴερον, καὶ μεμίσμενον νοσηροῖσι μίαισμασιν, ἢ ἐν τῷ σώματι ἐσέλθῃ (1).

In *Aegypti* regionibus ubi endemice grassatur, ab aere oriri videtur; in *Libiae* oris ubi sævit singulis ferè redeuntibus annis, semper austro spirante erumpit; et tanquam alis ejus

(1) Huic quoque orationi subjiciendum, morbos nunquam vix aliunde, (quam ab aere oriri posse). Cum is aut copiosior, aut parcior, aut etiam plenior, aut morbidis inquinamentis infectus in corpus subierit.

incumbens advehitur; nam afflantibus ethesiis, minimè aut rarò manifestatur.

Paradoxum.

Si fomes pestilentiae assignanda esset, quid ni eam collocaremus intrà infinitas deserti regiones, vegetatione et vità destitutas, ubi vitali principio aer nunquam recreatur? Venti quidem dicti (1) arabice *sem* emanatio terrorem injiciens (si mihi dicere ita liceat), modo consimili interficit. In hominibus a vento dicto *sem* enecatis, membra rigiditate destituuntur, et corpus petechiis maximis opertum invenitur. Corpus pumoso sanguine distenditur. Atqui hæc omnia in corporibus pestilentia consumptis, sic se habent.

Sed hæc opinio reverà sit merè conjecturalis nec ne, nihil ad scopum nostrum, aut obest aut juvat.

Antiquitus in AEgypto ingnota pestis; a quibus intromissa fuerit?

Herodotis antiquissimi scriptorum ætate,

(1) *Sem* aut *samm*, ventus e meridianis partibus Africae spirans, et fulminis modo interficiens.

Vid. *Bruce*, tom. 8, cap. XI. *Niebur*, *Meninski*, art. *Samm*, etc.

Ægyptus salubritate gaudebat , civitates opulentissimæ , undique assurgebant , undique plebs innumerabilis terram uberrimam incolebat. Pestilentia nunquam ibi divulgabatur. Sed cum barbari , institutionum optimarum , legumque contemptores , has regiones invassissent , tunc monumenta et oppida cecidère , tunc cultura neglecta fuit , et ex summis miseriis , lues erumpens , his sedibus incubuit.

Non ab Æthiopiâ defertur.

Non ab Æthiopum regionibus *aera multum permensa* , in orbem terrarum diffunditur. Viator celeberrimus *Bruce* , cujus relatio fidem in dies novam obtinet , non hanc in *Axum* (1) grassari memorat. Si ex his regionibus erumperet , mercatorum catervæ , quæ singulis annis in Caïrum , servos , merces , et aureum pulverem afferunt , eam vestigia subeuntem disseminarent , atque ipsa quidem a Thebaïde cursum inciperet. Atqui verò contrarium observatur , nam a *Delta* , aut ab Alexandria , aut a Pelusio , ortum ducens in Cairum ascendit. Res ita a Procopio etiam refertur , cum narrat pestilentiam , quæ in orbem universum irruit.

(1) Urbem Æthiopiæ caput.

ἤρξατο μὲν ἐξ Αἰγυπτίων, οἱ ὥκυνται ἐν πλησίᾳ. γενομένη δὲ δίχα, πῇ μὲν ἐπὶ τῇ Αλεξανδρείᾳ καὶ ἄλλῃς αἰγύπτου ἐχάορησε, πῇ δὲ ἐπὶ παλαισινὸς τοῖς Αἰγυπτίοις ὁμοῖος ἦλθεν· Εὐτεῦθεν τε κατέλαβε τὴν γῆν σύμπασαν. . . (1)

In historia medicali exercitus orientalis quam scripsit archiater doctissimus (2) *Desgenettes*, concivis noster, dicit : et pestilentiam in *Pelusio* cum imbris, mense vendemiario incœpisse et deinceps in Nosocomio Nautico *Alexandriæ*, mense frimario apparuisse, nec advectam, ut vulgus dictitabat, sed infelici cœli temperie generatam, caput extulisse. Nunquam vero professor hujus scholæ de quo superius mentio fuit; aut *Prosper Alpinus*, nec e viatoribus ulli, pestilentiam in Thebaïde primùm grassari memoraverunt.

(3) *Plinius* a meridionalibus orbis partibus,

(1) Ab Ægypto, apud eos qui in Pelusio habitant incœpit. Aucta deinceps et divulgata in Alexandriam, in alias provincias, in Palestinæ locos circa Ægyptum venit. Tandem orbi universo incubuit.

Προκοπ. Περσικὰν βιβλ.

(2) Hist. Médic. pag. 19 et 22.

(3) Quâ in re (Peste) observatum a meridianis partibus ad occasum solis pestilentiam semper ire.

Hist. Nat. lib. VI.

in occidentem , id est , in Europam advectam narrat.

(1) Thucidides ab Ægypto incipere , et in Py-ræo hanc ortum ducere affirmat. Opinione anti-quâ , aut argumento , quod silebant , moti loque-bantur (2). *Lucretius* eamdem opinionem am-plexus est.

Multi viatores contrà horum ce scriptorum fidem , hanc allatam a Constantinopoli in Ægyp-tum navigatione conclamant. Exempla mini-me rejicienda contrarium demonstrant. Et enim in postremo belli tempore , pestilentia in Ægypto caput extulit , quamvis provinciâ cir-cumeluderetur ab *Anglis* et *Turcis* , qui navi-bus omnes aditus servabant. Tamen ab hyemis principio An. VII spontanea erum-pit , frustra que cavendi aut observandi ra-tiones indicantur. De fonte proprio manat lues , terrâ natali gaudet ; aer , temperies ei favent.

Causæ Pestis Genuinæ.

Aeris constitutio in Byzantio et in aliis urbibus , incuria civium , modus viarum insa-

(1) Lib. 2 , cap. VIII.

(2) De Nat. Rer. lib. VI.

lubris, ansam ei præbent. Quibus in melius mutatis, non pestilentia appareret. Quot enim alieni nunc ab Europæ regionibus bene ordinatis, has olim morbi depopulati sunt. Leges saluberrimæ, vivida philosophiæ lumina, pollens cultura, tale in nos beneficium contulerunt.

Sed e contrà, Orientis terra fortunata, noctis perpetuæ tenebris constricta, ignorantia, fanatismo turpi tradita, sub Turcarum imperio gemit. Inter civitatum olim florentissimarum ruinas, pauci cives vix numerantur.

E ruderibus tot urbium exhalatur; in *Græciâ*, in *Epiro*, e Lacubus, ex oppidis eversis emergit lues.

Temporibus meis, anno Reipublicæ octavo, mense germinali in *Seraglii* penetralibus exorta est. Perierunt multi e servis junioribus, ephæbis, qui principem adeunt. Ceciderunt et plurimæ servæ imperatoris sponsarum. Quomodo autem venenum intromissum fuerit, nisi ab aere, dictu difficile esset.

Ab aliis etiam causis oriri potest; quod exemplum sequens demonstrat. *Pestis delphen-*

sis, inquit (1) Forestus, « oborta est, post
 » magnam annonæ caritatem, cum frumenta
 » quæ contraxerant, diuque reservata essent
 » à mercatoribus avaris. Quæ quidem grana
 » diutiùs conservata, et putredinem adepta,
 » à plebeis comesta, omnium primo in pago
 » Anticastro dicto, quod inter Hagam comitis
 » et Delphensem hollandiæ civitatem admo-
 » dum percelebrem situm est, pestis suborta
 » est ».

Non advecta fuit, è littoribus orientalibus,
 e cognitâ et determinatâ causâ, more epide-
 miarum et febrium generata grassataque est.

Eadem Livius memorat, et nobis argumenta
 similia suppeditat.

(2) Anno 397 a. U. C. tristem hiemem, sive
 ex intemperie « cœli, raptim mutatione in
 » contrarium factâ, sive aliâ aliquâ de causâ,
 » gravis pestilensque omnibus animalibus æs-
 » tas excepit, cujus insanabili pernicie,
 » quando nec causa, nec finis inveniebatur ».

(3) Alias pestilentia, Gallorum exercitum
 invadit, dum capitolium obsiderent.

(1) Forestus, lib. VI, Observ. IX.

(2) Liv. Hist. Lib. V, cap. 13.

(3) Liv. lib. V, cap. 48.

» Gallos pestilentia etiam ; quum loco ja-
 » cente inter tumulos castra habentes , tum
 » ab incendiis torrido et vaporis pleno , cine-
 » remque , non pulverem modo ferente , quum
 » quid venti mortuum esset. Quorum intole-
 » rantissima gens humorique et frigori as-
 » sueta , cum æstu et angore vexati , vulgatis
 » velut in pecua morbis morerentur ; jam pi-
 » gritia singulos sepeliendi , promiscuè acer-
 » vatos cumulos hominum urebant ».

(1) Sic et tandem loquitur de peste , præ-
 dictus auctor. « Accessit et pestilentia com-
 » mune malum , quod facile utrorumque ani-
 » mos averteret a belli consiliis. Nam tempore
 » *autumni* et locis naturâ gravibus , multo
 » tamen magis extrâ urbem , quam in urbe
 » intoleranda vis æstûs per utraque castra
 » omnium fermè corpora movit. Et primo
 » temporis ac loci vitio et ægri erant et mo-
 » riebantur. Postea curatio ipsa et contactus
 » ægrorum vulgabat morbos ; ut aut neglecti ,
 » desertique , qui incidissent , morerentur. . .

.

(1) Liv. lib. XXXV , cap. 26.

» Multo tamen major vis pestis Pœnorum
 » castra , quam Romanorum (diù circumse-
 » dendo Syracusas , cœlo aquis que adsueverant
 » magis) affecerat. Ex hostium exercitu Siculi
 » ut primum videre ex gravitate loci vulgari
 » morbos , in suas quisque propinquas urbes
 » dilapsi sunt. At Carthaginienses , quibus
 » nusquam receptus erat , cum ipsis ducibus
 » ad internecionem omnes perierunt. Marcel-
 » lus , ut tanta vis ingruebat mali , traduxerat
 » in urbem suos. Infirmaque corpora tecta et
 » umbra recreaverunt ».

Corollarium.

Lucidè origo et pestilentiaë causæ demons-
 trantur ex prædictis auctorum exemplis. Ubi
 igitur miasmata aerem vitiantia aderunt cum
 temperie congruenti , aderit et pestilentia !
 tempore et spatio , spontanea oboriri potest.
 Commerciî viâ cum mercibus si affertur , sine
 cœli temperie necessariâ , venenum non de-
 promet , quæ cuncta infrà probationibus ful-
 cientur.

DE NATURA PESTIS.

Natura intima et specialis pestilentiaë , pror-

sus latet. Sed aliundè verisimile est, eam unico genere constare, et solum modò differre propter diversum vis modum, aut fortassè propter veneni quantitatem, in spatio dato.

Caractere proprio gaudet propter summam malignitatem, et tamen inter febres recensetur, si omnis febris, causa habendum sit venenum, quod systematis nervosi vim concitet. Hoc venenum summoperè in feбри adeno - nervosâ dominatur. Namque prostratio, lipothymia, cardialgia morbum lethalem indicantes, in peste præcellunt. Omnem vitalitatis actionem arripit, animos debilitat, sensum pervertit.

Pestis inquit, percelebris (1) Pinel in Europâ » sub formis variis, et cum characteribus de- » vastationis et terroris reproducta est ».

Eam variolis sic comparat Mertens « am- » borum primùm insultum cephalalgia, vomitus comitantur. In variolis febris plerumque » intensior est quam in peste, dein tumores » singulis proprii prodeunt (2) ».

(3) Galenus de naturâ pestis disserens, sic

(1) Nosograph. t. I.

(2) De Peste, pars 2, cap. 2.

(3) Nulla tenus tutum est iis assidere qui Peste

loquitur. Συνδιατρέχειν τοῖς λιμῶνισιν ἐπισφαις, ἀπολαύσαι γὰρ κινθύνος, ὥςπερ Φῶρας τινὸς at scabiei nullatenus in comparationem adduci potest.

Sed cum sit pestis naturâ suâ, temperie cœli et causis debilitantibus contagiosa, hic definire quid sit contagio decet.

Timor et contagio, secundum *Van-Helmont*, unum et idem sunt. *Gaubius* in dubium vertit, utrum ignavi soli epidemiæ obnoxii sint. Hoc quidem mire cum quibusdam observationibus conveniret. Doctores enim *Didier*, *Chicoyneau*, *Verny*, qui Massiliam peste grassante, missi fuerant, hanc non reformidantes salvi evaserunt. Attamen posteris mandatum est, eos omnia pericula subiisse. Atque etiam nuperrimè professor *Desgenettes*, impavidè inter ægros quotidie versatus, in Syriæ campis, sub mœnibus et in obsidione *Ptolemaidis*, aut in Ægypto; nihil unquam damni expertus est. Inconcussus æquè ac placidus ejus animus, adversus infestæ luis ictus procul dubio, eum sospitem servavit.

decumbunt, ab alio enim in alium traducitur, scabiei cujusdam more.

περὶ διαφορὰς πυρετῶν. Galen.

Contagio in sensu vero et generali, *est veneni transmissio* contactu, sine causarum debilitantium et temperaturæ concursu.

Pestilentia in Europæ, Asiæ, aut Americæ septentrionalibus regionibus, nunquam sine temperie debitâ grassaretur. Nunquam in extremas Indiarum regiones versûs meridiem, divagata est. Temperaturâ æstuosâ latè propellitur et eliminatur. Infra *zero*, *thermometri Reaumuriani*, et supra ejusdem trigesimum, caloris gradum, nusquam adest. Quid ei simile igitur cum cæteris morbis contagiosis, morbillis, variolis, etc. in omni tempore serpunt. Quocunque sub cælo et corporibus sanitate præditissimis incumbunt.

Variolis semel intromissis in Europam nostram, numquam ab iis purgata deinceps fuit. Orbis nunc commercio jungitur, navigatio continua et infinita omnes communicandi vias frequentiores facit. Atquæ tamen olim pestilentia sæpius, Europam terrebat, et populi haud ita frequenter inter se versabantur.

(1) Quando in Europâ morbus venereus apparuit, eum pro peste quidam habuerunt.

(1) Vid. Fracast. Aquilanus. Sanchez, etc.

Bubo, mors repentina quorundam, errori causam præbuit. Sed elapsis annis ferocitatem primam deposuit! . . . Quid autem venenum pestilens amisit? Nonne tot funera patrat?

Systema omne similitudinis ergo, propter contagionem ruit. Pestis epidemiarum more incedit; ordo, salubritas regionum nostrarum, eam arcent, nos protegunt et tuentur.

De signis Pestem præsagientibus.

Fabularum et præsagiorum sarraginem jam oblivioni mandatam, hic referre, non mihi est animus. Dicam tantum, propter quorundam viatorum et scriptorum errores, constitutionem ab Hippocrate observatam in (1) Thaso divulgandæ et producendæ pestis sufficientem esse causam. Non in oriente epizootiæ, ranarum multitudines, morbilli plurimi, varioli, vermes, phlegmoni, authraces, abortus mulierum frequentes, aquarum inundationes, fames, canum hydrophobia, observantur. Hæc flagella in præsagium flagelli, non semper adsunt, et pars eorum nunquam apparet.

Sed si hiems callida sit, si spirent Austrini,

(1) Ἰων. ἐπιδ. τμημ. δειν. καλῶς αἰσθ. δειν.

tunc in Constantinopoli timendum est , periculum imminet.

Specialia signa in hominibus , morbi suspicionem denuntiantia , sunt cardialgiæ , oris fœtor , capitis gravedo , stomachi cruditates , membrorum lassitudines , circa vesperam horripilationes. In quibusdam frigora , anorexiæ , pulsus debiles , insomniæ , aut somnus somnis perterrefacientibus agitatus. Ægri quidam melancholiâ oppressi , in sanitatis statu ambiguo , labores solitos suscipientes , restant.

(1) Invasio autem nunquam adeò repentina , ut aliqui sicut fulmine icti , in viis cadant. Aliquid molesti semper mortem præcessit.

Diagnosis Pestis.

Ex historiis omnium Nosographorum , constat pestilentiam esse morbum acutissimum , petechiis , bubonibus , anthracibus plerumque stipatum , cui febris comes incedit.

Diagnosim Thucydides , in Atheniensi peste describendâ tradidit. Vestigia ejus secutus , Titus (2) Lucretius Carus , carmine perenni , ea consecravit.

(1) Epist. d. Makensie , transact. phil. p. 39.

(2) De nat. rer. lib. vj.

Caput fervore incensum , oculi rubentes ; lingua et fauces sanguinem sudantes ; spiritus tetrum odorem volvens , respiratio difficilis , vox angusta , singultus frequens , vomitus cum dolore et violentiâ. In quibusdam lympharum ardor ; vento et frigori membrorum expositio. Lumina expertia somno , furiosus vultus , tenuia sputa , frons tenta , minitans.

Eadem de peste , Justiani temporibus grassante , Procopius dicit , et similia symptomata recenset.

(1) Phantasmata , sepulchrorum umbræ e terræ sinu assurgentes , insomnia , deliria , planctus , phrenesis , terrores , faciei color ruber , cephalalgia , bubones , virium prostratio.

Sed ex hisce scriptoribus , nullus aeris temperiem assignat , et hæc pars observationum nosographis deest , ut severè contagii effectus judicent , et quantum cæli constitutio damni afferat.

Observationes quædam propter diagnosim.

Tegeæ civitatis antiquæ in Peloponeso , ho-

(1) Vide Προκοπιου περικτον η β'.

A pag. 77 ad 80.

August. Vind. Edit. an 1607.

diè Tripolizza , anno Reipublicæ VII , novem
per menses habitavi.

Chorographia et topographia.

Circumfusus urbi territorium à Lycæis
montibus occasum versùs concluditur , quo-
rum à radicibus oppidi mænia surgunt. Circà
meridiem et orientem , agri feraces ; paucis
ruinis interjectis , latè patent. Ex his partibus
Taygeti juga , cacumina nivibus operta ad
cælum extollunt , et a Laconiâ Messeniâque
vallem ejus separant. Ad orientem et septen-
trionem Chaoni et Mænalium pars assurgunt.
Ultrà Mantineæ rudera sub lacus undis im-
mersa jacent. Aer feracis Arcadiæ incontami-
natus , homines recreat.

Urbs Veziris , seu Pachæ sedes , Tripolizza ,
olim Tegea , muris cincta , octo aut decem
millibus omnis ætatis civibus , tribus religio-
nibus distinctis , Mahumetanâ , Græcâ , et
Hæbreâ , constat. Viæ angustæ haud pavimen-
tatæ , sordibus replentur , quæ ex foricis ha-
bitantium in eas manant. Platani altissimæ un-
dique domos latè adumbrant. Torrens igno-
bilis e Lycæis saltibus decidens , balneis aquam

suppeditat , puteorum et fontium lymphas ci-
ves cuncti compotant.

Victus habendi ratio.

Victus habendi ratio , componitur pane ,
mero , herbis quamplurimis cum aromatibus ,
et presertim origano , pseudo dyctamo , et
menthâ piperitâ conditis. Propter religionis
observationem , quadragesimas et jejunia , græci
paucâ carne vescuntur. Quando licentia da-
tur , agnos cum butyro origano et adipe tos-
tos comedunt ; aut eos minutim secantes et
verubus transfigentes , antiquorum more sa-
crificantium laute epulantur. Sed quod arbi-
trio meo , iis pernoxium fit , ex abusu cucu-
merum et peponum procedit. Turcæ et Judæi ,
à porcinâ carne abhorrentes , pro cæteris diæ-
tam eandem colunt. Omnes ferè vino dediti
sunt ; et Græci famâ priori haud indigni , *per-
græcantur.*

Tempestates anni.

Ineunte martio , ver floribus stipatum ince-
dit Æstas , maii principio , jam fervet. Autum-
nus cum uvis , abundantia et floribus a Calore
deletis , veris novam imaginem , octobri mense ,

præbet. Tristis hiems cum januario prodit,
perque duos menses permanet.

Meteorologia.

Dies anni longissimus, intra 14 h. et 10' absolvitur. Calor sub Syrio, thermometri Reaumariani ad 30°. aut 33° usque progreditur. Æstate si pluvia non supervenit, febres adynamicæ exoriuntur.

Per æstatem venti, oriente sole, ab austro spirant, et circa meridiem, in orientem gradatim transeunt. Cum autem tunc temporis à septentrione flant, intolerabilem æstum afferunt, propter Mantineæ montes calore æstuant. Sed cum nimbi aerem temperaverint, tunc jucundissimus aquilo saluberrimam temperiem affert. Per autumnum venti occidentales noxii sunt; durantque per hyemem. Tunc tonitrua et pluvias immensas secum ferunt, sic, et aliquoties vere novo, tunc epidemiæ reformidandæ sunt.

ÆGER PRIMUS.

OBSERVATIO PRIMA.

Talis erat mensis frimarii constitutio. Ficulneorum et vitium jam folia flavescebant, cum Veziris jussu in palatium accersitus, ve-

nio. Ex equitibus suis unus, febre et cephalalgia correptus, decumbebat. Ab invasione morbi duodecim horæ elapsæ erant; bilem atram evomuerat, linguam flavam præbebat, et paululum delirabat.

Die II^a. Frons minitans, faucium angustia, sitis, ardor internus, faciei rubor, oculi fulgentes, pulsus debilis et intermittens, febris parva; vomitus, lingua fusca. Urinæ non observatæ sunt.

III^a. die. Petechiæ lenticulares, bubo in parte superiori femoris sinistri. Vomitus sistitur, alvinæ dejectiones erumpunt; lingua fusca, urinæ albæ.

IV^a. die. Bubo auctus, ruber, dolorem ferens, lingua et dentes nigri.

V^a. die. Prostratio, delirium, non jam pulsus exploravi. Potum cum malorum citreorum succo et saccharo, æger bibebat. In bubonem cataplasmata ex (1) *καβίαι* facta, apponebantur.

VI^a. die. Bubonis sectio, lingua nigra, symptomata infausta paululum se remittunt. Diarrhea foetidissima.

(1) Piscium ova, et præsertim mullorum, *muridæ condita*.

VII^a. die. Urinæ limo onustæ.

A septimâ usque ad duodecimam diem, somnus rediit. Tunc nives in menaliis montibus apparuerunt, campos que mox operuerunt. Nivosis initio frigus invaluit.

Tunc in civitate cessavit epidemia, et famâ publicâ cognitum est, quies rediit.

Attamen æger, vires sensim recuperavit, et intrâ quadraginta dierum spatium planè convaleuit.

ÆGER SECUNDUS.

OBSERVATIO SECUNDA.

Pestis sub Anginæ Larvâ.

Vere sequenti, ærarii publici præfectus, anginâ corripitur. Vir robustus admodum, pléthoricâ constitutione, quatuor et triginta annos natus, a duobus diebus ægrotabat; pulsu pleno et duro laborabat; sanguinis missionem, quæ a tonsoris ministerio facta est, præscripsi. Nocte eâdem accersitus sum, dolores acerbiores fiebant, pulsus frequens et intermittens aderat, lingua nigricans, bilem evomebat.

Tertiâ die, petechiæ, anthraces in collo; moritur.

Sanguinis missio , procul dubio nociva fuit ;
nam constitutio pestilentialis iterum incipiebat.

ÆGER TERTIUS.

OBSERVATIO TERTIA.

Pestis cum Petechiis.

Die secundâ florealis, Græcorum Protogeron,
jamdudum incertâ sanitate gaudens , febre cor-
ripitur.

Sequenti die , ante solis occasum moritur.
Cadaver ejus quod conspexi , petechiæ operie-
bant , membra ejus flexibilitatem servabant ,
et diluculo quandò in cœmeterium vespilliones
cadaver extulèrunt , teterrimus odor ex eo
erumpebat.

Nullus bubo aderat , attamen consanguinei à
Peste interfectum dicebant.

ÆGER QUARTUS.

OBSERVATIO QUARTA.

Febris adynamica , in Pestem conversa.

Trichiasistis quidam Theódorus nominatus ,
quadraginta annis natus , juxtâ rivulum , qui è
Menaliis décidit , in domo parvâ habitabat.

Febre continuâ correptus à diebus duodecim jacebat ; omnia putridæ seu adynamicæ febris antecedentia et comitantia signa expertus erat. Quotidie eum videbam et assiduè observabam. Morbus omnibus remediis rebellis , nullam terminationem pollicebatur, cùm decimo quarto die bilem evomuit. Cephalalgia , delirium et tandem bubo sub alâ apparuit..... Tunc quoque spem amisi, et propter mœrores animi , proprios , valetudinemque vacillantem recessi et eum reliqui.

Una et alterâ die elapsis , precibus suorum motus , in domum ejus revertor. Vinum generosum Argolidis præscribo. Crastinâ die tonsoris ministerio bubo novaculâ sectus est , pus non paucum exiit. Cephalalgia desiit , febris paroxysmorum malignitatem deposuit. Lingua flava et vicissim nigra , tertiâ die post bubonis sectionem ab extremitate purgari cœpit. Rubra deinceps et brevi humida ad basim usque , naturalem ferè colorem recuperavit. Ulcera quædam in pharynge superque epiglotim per morbi decursum non recognita , molestiam infirmo aliquam afferebant.

Tandem intrâ dies triginta convaluit. Nulli suorum damnum intulit. Attamen cum summo

pudore, hîc profiteor, me ab ipsâ quidem horâ, quâ pestilentiae signa in eo deprehendi, eum nequidem extremis digitis tetigisse. Sed uxor ejus amantissima, octoque filii cubili ejus adstantes, noxii nihil experti sunt.

Refellitur contagii absoluti systema.

Ubi primùm nives apparuerunt in Arcadiâ, morbum compescuerunt. Febres adynamicæ tunc in urbe sævierunt. Pauci reverâ cadebant. Subeunte austri flatu et calore, hæ adynamicæ febres, in pestem mutatæ sunt, et puerperæ quædam, quæ febribus laborabant, lue fatali correptæ sunt.

Nunquam morte repentinâ collabentes, in plateis vidi. Non sic epidemia fulminis modo ruit. Fabularum, mendaciorum, præjudiciorum copiam et idololatriam pedibus calcemus. Fautores contagii absoluti licet opinionem meam periculosam, nec-ne nominent. Nos vero impendentes veritati, eam testificemur. Miseris consolationes offeramus..... Non jam filii patres deserent, non sponsa virum sive liberos, non vir teneram uxorem, non sanguinis officia neglecta manebunt. Æger in cubili tristissimo jacens

solatium admittet. Cautiones adhibeantur ! sed profiteamur identidem , animum timoris expertem , corpus sanum et a causis debilitantibus immune , aerem inficiatum non timere , et contagium minimè reformidare.

OBSERVATIO PRIMA.

Necessarius quidam meus *Roque* in Athenis mercator , anno V^o. quo tempore grassabatur pestilentia , januis clausis , sine ullâ communicatione , cum uxore suâ et familiâ , domi vitam degebat. Lues in urbe erumpebat. Securi , observationi severæ fideles , inter funera existebant. Uxor amici dolore capitis conqueritur , et febre levissimâ corripitur. Nulla tamea inde suspicio pestis oritur. Postridiè symptoma graviora fiunt. Tamen nullam extrinsecus communitatem habuerunt , et tanquam levis momenti morbus consideratur. Cum uxore amicus decumbit , cum eâ cohabitat , nocte secundâ ad diem tertiam. Coïtus febrem auget , cardialgia supervenit eâdemque die sub alâ bubo apparet. Sponsus consortem dilectam non relinquit , venenum in dolore suo haurire cupit. Die quintâ eum alloquens ipsa moritur. Ancilla periculi socia et perterrita letho datur. Amicus

autem vitam cum animo recipit, et cœli luce gaudet.

Quomodo pestis intromissa fuerit, nescivit. Citrà dubium aeris constitutio, infelicis eventus causa fuit.

OBSERVATIO SECUNDA.

In Cynopoli Ponti-Euxini, postremi belli tempore, unus ex iis qui hic captivi erant linguarum orientalium interpres (*Comnenes*), febre acutissimâ corripitur. Cephalalgia, vomitus, et omnia luis mortiferae symptomata ad-sunt. Amicus meus, vir eximius, et præstantissimus *Flury*, rerum quæ ad commercium spectant, præfectus generalis, ægrum semper adjuvit et solatus est, aut lecto ejus assidens, aut blandis sermonibus eum alloquens. Obiit infirmus et nullum damnum, aut necessario meo, aut sociis suis intulit.

Periculo assuetus, ut sociis suis inserviret, quotidie in domum gubernatoris oppidi veniebat, ubi tamen erat pestilentia, cum barbaris versabatur..... Et tamen vir optimus, deliciæ suorum, salvus et incolumis, vivit.

Innumera quidem, hisce, exempla jungere possem, sed jam satis multa enumerata fuisse videntur.

Causis debilitantibus divulgatur.

Quidam meritò dicent, pestilentiam specialiter magis in populum quam inter magnos grassari; et Moscovitarum exemplum citabunt. Sed plebs ubique, in Moscow, sicut in Constantinopoli, in Smyrnâ, in Caïro egentissimam degit vitam, et consequenter omnibus causis debilitantibus obnoxia est.

Sed idem dici, de principibus et optimatibus orientis, posset. Pestilentia quoque sæpè corripuntur, et tamen nec laborant nec esuriunt. Sed balneis caldis abutuntur. Mulieribus, pederastiæ et ferè omnes vino, et crapulæ sunt dediti. Senes antè vitæ occasum, miseri, infelices, in otio et anxietatibus vivunt. Timor, causa summopere debilitans, eos continuo cruciat, inter aulicorum dolos existunt. Animi motus, mœrores, invidiæ, gaudia magna (licet fato credant) pectora eorum demulcent, aut prostrant.

Loca humida ei favent.

Quandò pestilentia grassatur in Argo, in Nauplio, propter paludes et oryzæ culturam, funera plurima producit.

Populi Lernæam paludem incolentes, pallidâ facie et croceo colore distinguntur. Febribus intermittentibus obnoxii sunt, quæ cum majori effluviorum malignitate, in putridas, et, temperie nocente, in pestem mutantur. Teterrima pestis anno VI^o. omnes ferè hujus regionis incolæ necuerat. Anno sequenti, hæc littora peragrans, campos silentes et domos plerasque vacuas reperii. In nullo Peloponesi loco, pestis hoc tempore caput extulit.

DE PESTE IN FEBREM ADYNAMICAM
EPIDEMICAM, DESINENTE.

Bysantii chorographia.

Constantinopolis, sub cœli temperie optimâ floureret, si legibus vigeret; non verò à barbaris incoleretur.

Cœli status, anno communi, nimbosas dies dat 66, cum nivibus 4; cum caliginibus 6; cum operto nubibus cœlo 20; cum variationibus 40; cum tonitrubus 15; cum serenitate ferè nunquâm interruptâ 254.

Boreas, imperium atmospheræ novem mensibus obtinet; hieme flat auster et aliquoties cum solano vices alternas habet.

Ver annum aperiens frigidum est, et incipit circa aprilis 15^m. æstas cum junio principium habet, calores maximi in augusto mense adsunt. Tunc herbæ adurantur. Octobri mense Autumnus cum pluviis aliquibus aerem reficit et campis viridem aspectum restituit. Hiems in ultimis diebus decembris, oritur.

Aurora poetica, solem semper antecedit, sed Titani occasus tristissimi observantur. Aliquid turbidi, in aere suspensum manet, donec stellæ orientur. Tunc noctes gratissimæ somnum benignum spargunt.

Circà occasum propontis, versus meridiem bosporus Asiam ab Europâ dividens, ad orientem sinus ceras, seu portus, urbis mœnia aluunt. È Ponte-Euxino bosporus fluens, aquas suas in Propontidem effundit. Campi Thraciæ immensi, ex septentrionis parte eam cingunt.

Historia morbi.

Anno V^o adultâ æstate, in urbe pestis erumpit, eo plurimaque fundit funera. Sed jam æstu præterito mitescit. Tunc milites nostri in insulis maris Ionici captivi, in Armamentarii squallore immerguntur; ferro, catenis, laboribus, verberibus, onerantur, vexantur et cruciantur.

Pestis paucos menses antè, ibi grassata erat et trecentos ex Melitensi insulà captivos ibi interfecerat. Aliqui etiam jacebant adhuc, vix ultima cadavera ablata erant, cum in hanc voraginem, cives nostri intruduntur. Propter longum iter (nam ardua Græciæ, quidam Acroceranios, chimæræ montes, omnes campos et paludes Thessaliæ peragraverant) omnes, inquam, defessi, prostrati, sortem indignam mœrentes vident! Morbus asperrimus, qui adhuc lugubres speluncas Armamentarii navalis inquinabat, corpora debilitata adoritur. Febre adynamicâ, petechiali, omnes corripuntur; e quingentis et mille tertia pars moritur. In nullis bubones, aut authraces extiterunt. Qui trigintâ aut quadragintâ dierum spatio convalescebant, mentis compotes nondum erant. Stultitiâ, dementiâ, ultrâ unius aut secundi mensis tempus adhuc afficiebantur.

Pestis sporadicè serpens in urbe.

Sequens æstas callidissima fuit, Turcarumque exercitum pestilentiam ab urbe secum auferre existimatum est. Hanc hominum squallidissimorum turmam, in Asiæ littora juxta Trojam

castra metantem vidi. Lethali jaculo transfigebatur, et ex decem cum octo millibus, omnes ferè ad unum è medio sublatis sunt. Quievit interea *urbs*, noctium serenitas planctibus non interrupta fuit, et militibus ad miserrimos labores damnatis pepercit. Sporadice in bospori littora caput extulit. Commercium nihil ominis aut consuetudines nullam intermissionem receperunt. Eo tamen tempore, in opulentissimâ Smyrnâ, in Chio insulâ, in (1) Psara grassabatur. Naves quotidie ex his regionibus ad Bysantinas oras appellebant.

Anno actavo in Abydo Hellesponti sæviit, non verò in sesto Thraciæ, ubi propter situm et loci elationem rariùs divulgatur, et sporadice adhuc in Bysantio apparuit. Hanc benignam incolæ dicebant, quia non ab Ægypto veniebat, et meritissimo quod temperie humidâ et calidâ carebat.

Anno nono nusquam adfuit, anno decimo etiam siluit. Sed postrema hieme detonavit. Atque etiam austrini spiraverunt, æstus pluviaque vicissim regnaverunt.

(1) Insula parva maris Ægei olim *Ψηρα*. Vid. Hom. *Ilias*.

Corollaria.

Ex omnibus prædictis tria concludemus;
 1^o. pestis spontanea oriri potest. 2^o. Nunquàm
 sine temperie debità sævit. 3^o. Constitutione
 atmospheræ, et causis debilitantibus necessariò
 conflatur.

Hæc de diagnosi satis esse arbitror.

Pestilentiaæ prognosis.

In omni constitutione pestilenti, tria tem-
 pora præcipuè notantur. Morbus detonat, in-
 valescit et tandem mitescit. In hoc omnes
 loimographi consentiunt.

Morbus prothei more incedens, difficilem
 prognosim reddit. Incertus medicus in primo
 populationis momento conjecturas emittere
 vix audet. Nam si ineptè pestis nomen pro-
 nunciaretur, in plebem terrores periculosos
 immitteret. In hoc adhuc laudanda est loimo-
 graphi nostri Professoris *Desgenettes*, agendi
 norma. Flagello mortifero epidemiæ nomen
 imponit, et sic animos confortat; quin imò
 exercitum protegit.

Pulsus summoperè debilis, febris parva;
 mortem imminentem denunciant.

Carbunculi, petechiæ, solutionem humo-

rum , putredinem iudicant ; nihil ferè ad prognosim prosunt , nam in cadaveribus repentè extingtorum observantur frequentius.

Morbus periculosior , in pueris quam adolescentibus , et in istis quam in hominibus adultis et senibus. Juventus ut rosa flebilis occumbit.

Eruptio simultanea , tumultuosa , ordine insolito ; mala.

Bubones confestim erumpentes , ambiguum prognosim dant.

Si sub eorum apparitione , cardialgia non desinit , malum erit signum.

Bubones sensim crescentes , quibus deinceps bona suppuratio , lætam prognosim offerunt. Natura hoc modo , malo se liberare conatur.

Cum iis diarrhæa perdurans , cum abdominis dolore et tensione , funesta est.

Si delirium , vigiliæ , convulsiones , lipothymia , sitis , terrores , perseveraverint ; lethale.

Infinitas prognosis variationes , amplectitur.

*De modis , ad sistendos Pestilentia progressus ,
adhibitis.*

Ubi primum horribilis epidemia in urbe

quadam erumpit, debent eam medici et magistratibus denuntiare et populo abscondere. Tunc disciplinæ severæ supplicii formas habentes, removeantur. Philantropi miseris, auxilientur.

Quidam familias integras, propter pestis suspicionem recluserunt. Quid hoc spectaculo luctuosius? In domo miasmatibus verè contagiosis refertâ, ubi è propinquis unus decessit, periculo imminenti voventur. Mœror, tristitia, eos veneno suscipiendo aptos facit. Nam ut Dimerbræck vidit, *propinqui et amici sæpiùs morbo afficiuntur, quam ei quibus mortui sors indifferens erat, licet eum pariter appropinquaverint*. In talem impietatem Mertens dicit « præstet ne malis succumbere, quam diutiùs » miserabilem vitam protrahere, inter ipsa » propinquorum atque amicorum funera (1) ».

Lex similis morbo præbet alas et eam vulgat. Liberi sint igitur cives, locum mutandi, cœtus magni prohibeantur, et observationis loca indicentur. Sed propter hoc et alias cautiones, omnes loimographos audire est. Nihil dictis eorum nisi redundans et supervacaneum adderre licet.

Observationes in variis Galliarum portibus

(1) De Peste, cap. 2.

institutæ, adhuc sub præjudiciorum mole gravantur. Spretis philosophiæ, scientiarumque luminibus, quales fuere ab initiis, remanserunt. Attamen sapientissimè patres nostri instituerunt, ut naves ab orientalibus oris, in Galliam appulsæ, observationi submitterentur. Sed cui bono homines puri nec ne, triginta aut quadraginta dierum observationi damnentur? Què venenum lethale, in corporibus sanis, sine noxâ tandiù subsisteret?... Quoad merces, liberi tales, aut tales regulas præscribant. Sed de sanitate, de vitâ hominum, non sic tractatur. Quid sit utile cordate laudavit professor hujus scholæ multoties citatus, quid ridiculum et inutile lepide irrisit (1).

Germani in finibus Hungariæ observationis locum indixerunt. E Turcarum imperio venientes, ibi aliquot dierum spatio commorantur. Ridiculæ fumigationes aerem velantes et non mutantés rejiciuntur. Merces aeri libero exponuntur et homines peragrantes, quinque aut septem elapsis diebus, liberi denuò viam aggrediuntur et iter faciunt.

In Orientis urbibus, in quibus Europæi habitant, sicut in Bysantio et Smyrnâ, philan-

(1) Hist. Méd. de l'armée d'Orient, pag. 242.

trophica pietas Xenodochia in peste afflictorum gratiam instituit. Huc, qui in morbi suspensiones veniunt, feruntur ! Sed abusu fatali rerum sanctissimarum, qui salvus evasisset, ibi contagium suscipit sæpè et moritur.

Hic pestilentiae sistendae modus, tamen minora trahit incommoda. Quidquid verò sit, cum contagio adest, aer et vitatur et cautiones difficillimae fiunt.

Refutatio facti à Mead producti.

Propter ipsam rem de quâ disserimus, factum à Mead productum refellere convenit (1).
 « Immo, inquit (fide Gauderens), et observatione imotuit, Persas quorum terras undequaque pestis circumcingit, rarò admodum, imò vix unquam ab ipsa quidquam mali concipere; compertum vero aliundè est eos munditiei esse studiosos maximè, ita ut ipsorum multi sibi summum religionis caput constituent ut sorditiem omnem, omne squalloris genus quâcumque curâ, quâcumque sollicitudine, ab ædibus et civitatibus arceant et avertant ».

Turcarum gens omnis, ablutionibus fre-

(1) Mead de Peste.

quentissimis utitur. In domibus eorum amplius, aer liberè circumfunditur, et munditiem colunt. In Perside sicut in Othomanorum regionibus ad-sunt pauperes, isti vitæ commodis cunctis non gaudent et consequenter obnoxii sunt pariter morbo pestilenti epidemicè grassanti, sed hîc causa non latet. Hic Mead limites interquos pestis non introducitur, notare debuisset.

Citrà dubium hæc observatio regionibus trans Euphratem jacentibus satis convenit. Assertio mea auctoritate fulcitur carissimi Beauchamp, captivitatis focii, amicis, scientiis et praesertim astronomiæ nuper erepti.

Cæli temperiei, inquiebat, Hecatompilos salubritatem suam debet. Ex eâ utrum urbs in sylvâ, aut sylva in urbe, quærere est. Schiraa urbs, quæ in planitie excelsâ opulentissima, nobilissima et maxima surgit, peste nunquam vexatur. Attamen mercatorum catervæ cum camelis innumeris merces portantibus hûc conveniunt. Sed vegetatio amænissima, temperatura corporum amica, nunquàm aerem sinit morbificis miasmatibus misceri. Ast in Bagdato, Erzeroum et oppidis olim ditissimis, dira lues sæpissimè detonat. È ruinis eorum Eumenidibus similis, cum aere vitiato erumpit. Et ut amplius demonstremus quomodò inter

Persas grassetur sic audire est è poetis eorum quemdam, loquentem de peste, quæ civitatem Asterab vastavit, circiter annum 386 Hegiræ.

« Pestilentia fulmini vindici par, repenti
» hanc urbem opulentissimam invasit, cujus
» territorium odorem præexcellentem cæteris
» suavissimis exhalat ».

» Ex omnibus habitantibus ejus nullus ju-
» venis aut senex remansit. Fulmen fuit,
» quod in sylvam cadens viride cum sicco
» lignum adussit (1) ».

Diaeta seu victûs ratio.

Ad sanitatem corporum sequentia suadebimus. Jejunia, vigiliae et defatigationes sedulo vitentur. Cibus sufficiens, merum, mensis quantumlibet apponatur. Admittatur exercitium moderatum, quod tantillum sudoris provocet. Vitæ genus ab auctore lepido (2) *Boccacio*, in praxim adductum, mihi arrideret.

Calidorum aromatum fumigationes, inutiles prorsus sunt. Non ideo et inter fabulas rejicienda omnino historia ignium ab Hippocrate in Athenis, pestis tempore præscriptorum. Usus adhuc superest. Sæpè a Græcis

(1) Bib. Orient. d'Herbelot.

(2) Vide Dacameron giornata I.

quæsiui dùm Tegeæ manebam , cur noctu æstatis tempore ignes accenderent , et nihil aliud omnes dixerunt nisi propter aeris salubritatem accendi. Si inutilis et supervacanea est hæc consuetudo (quod et arbitor) ; in omnibus , vicis aut civitatibus eorum saltem antiquissima est.

Arabes malorum granatorum , aurantiorum hispanicorum , limoniorum , usum commendant. Alii scordium , opium , vinum generosum , etc.

De terminandi modo et de Pestis curatione.

Pestilentiâ grassante deos iratos , veteres existimantes , victimas innocentes mactabant , piacula et sacrificia per-agebant.

(1) In Ædipo Sophoclis Minervam chorus deprecatur , ut deum exterminatorem expellat , qui absque gladio et scuto acervis mortuorum , Thebarum civitatem implet , et propter funera *Martem* eum vocant.

Omnes tandem timore perciti , caput velantes , præjudiciis exæcati , aut occubuerunt , aut salvi facti , nihil propter terminandi modum et curationem dixerunt.

(1) ὦ χρυσέα Ὅς νυν ἄχαλκος ἀσπίδιον
 Θύγατερ Διὸς εὐῶπα πεμψόν Φλέγει με
 Ἀλκάν , ἄρεά τε τον μαλερόν , νάϊσαι

ΣΟΦΟΚΛ. Οιδιπ. Τυρ.

Venenum pestilens primò videtur partes in abdomine contentas lædere. Sed hoc consequenter evenit nervorum affectioni, etenim cardialgiæ, dolores et contractiones ventriculi consecutivi sunt.

In iis quibus, pulsus debilis, frequens, intermittens, cum vomitu et dolore, deprehenditur, si identidem lingua alba, sicca, inæqualis, rugosa sit, morte terminatur.

In iis, qui ardorem internum, febrem acutam, sitim habent, quorum lingua fusca et oculi rubri sunt, morte etiam exitum habet.

(1) In subjectis, qui ataxiæ aut adynamiæ expertes sunt, benigna. Tunc curatio et salus solis naturæ viribus debetur.

Medici præsentem pestem pugnantes, administrationem prorsus ex perspectis indicationibus habeant.

(2) « Antiqui, inquit Forestus, si corpus » sanguine abundabat venam secabant, ut corpus minus pestem susciperet, caetera quoque » cruribus vel brachiis adhibebant ». Deinde leves frictiones suadet, exercitium moderatum, viderem paucam, ludos et jocos in animi pæregoriam, et solationem.

(1) Desgenettes, Hist. Medic.

(1) Lib. VI, Observ. XV.

Altomarus venam secabat, cum bubones primis diebus morbi apparerent.

Sed sanguinis missio in febre summoperè vires prostrante, non convenit. Fracastorius affirmat, majorem partem eorum, quibus vena secta fuerit, periisse (1). *Pessimè fuerunt in hac peste Delphicâ, qui die transacto, apparente bubone vel anthrace venam secabant, tales vel moriebantur postea, vel admodum pauci ex iis evadebant.*

Vesicatoria, roborantia prout erit indicatio adhibeantur. Frictiones cum oleo maximè juvant. Quidam mercuriales in articulis laudant. Armenum cognovi, qui pestis tempore medicabatur ægros, et antispasmodica generosiora summoperè celebrabat. Sunt qui opio et laudano utuntur. Alii aromata adhibent. Quam plurimi vinum cum cortice Peruviano administrant. Qui methodum aliquam sequuntur, potiones cum acidis mineralibus et cortice peruviano kinakina commendant; vesicatoria deinceps adhibent. Expressus allii succus, aut vino infusum aliquos sectatores numerat.

Nociva summopère, cujusque sint generis,

(1) Forestus ibid.

jura. A venæ sectione omnes Orientis populi, in pestis curationem abhorrent.

Hilaritas quantum potest, et solatio infirmum non deserant. Animi pathemata et tristia arceantur.

Per sudores miasma quoque expellitur. Moschus in curationem, lotiones capitis cum aceto, abdominis fomentationes, sæpe adhibeantur.

Sed quid contra morbi impetum, tot remedia prosunt? Vires ægris deficient, labuntur propter atrocitatem luis et citò pereunt. Plerumque medicus, tardiùs vocatur, infirmus propter familiæ amorem, ne terrorem ei incuteret, sagittam lethiferam dissimulavit. Aut ne à consanguineis manu violentâ divideretur, licet ægrotans obmutuit.

Quid de plebe? aut obsoletæ et turpi superstitioni aut prædestinationi suffragans, morbo absumitur. Omnia prorsùs medicamenta rejicit. Nihil præter deos, peccata sua, aut fatum videt. Remediis domesticis majorem fidem concedit, dum videt medicos frustra decumbentibus auxiliari.

Hic imponendum iis finem censemus, quæ de peste dicenda erant, specificum in protheiformi morbo, haud sperandum existimantes.

FINIS.

PROPOSITIONES

ELUCIDANDÆ SEQUENTES ACCEDUNT.

I^a. Pestis est febris adynamica, summoperè acuta.

II^a. Signa ejus accidentalialia sunt.

III^a. Cautiones ad eam arcendam ridiculæ et nocivæ sunt.

IV^a. Spontanea oriri potest.

PROPOSITIONES

ELUCIDANDAE ARGUMENTIS ACCEDUNT.

I. Pestis est labris adhaerens, sanguinolenta,
acuta.

II. Signa ejus accidentaliter sunt.

III. Cautiones ad eam attendendam ridiculae
et nocivae sunt.

IV. Spontanea oriri potest.